75 *Primo, quia illam potest habere creatura sine speciali influxu Dei supposita conseruatione sue nature et sue uirtutis actiue, quia actio que non excedit uirtutem speciei agentis sufficienter elicitur a sola uirtute speciei, frustra ergo poneretur aliud immediatum eliciens talem operationem.*

80 *Secundo, quia impossibile est eandem actionem numero esse a duobus uel pluribus agentibus, ita quod a quolibet sit immediate et perfecte, nisi in illis sit eadem uirtus numero; sed in Deo et creatura non potest esse eadem uirtus numero; ergo impossibile est quod eadem actio numero sit ab utroque immediate et perfecte. Actio autem creature immediate est a creatura et perfecte, cum non excedat uirtutem sue speciei; ergo eadem actio non est immediate a Deo.*

85 *Minor de se patet, sed maior probatur. Contingit enim quod eadem | actio numero sit a duobus et a quolibet perfecte, sed ab uno immediate, ab alio | uero mediate, quia eandem actionem, quam facit causa propinqua immediate, facit causa uniuersalis et remota perfecte, inquantum dat uirtutem cause proxime et datam conseruat, et hoc est mediate solum. Alio modo contingit eandem actionem numero esse duorum*
90 *immediate, sed a neutro perfecte, ut cum duo trahunt nauem uel due candele causant unum lumen, quia a neutro perfecte est tractus nauis et a neutra candela per se est et perfecte illuminatio aeris. In talibus enim duo agentia imperfecta supplent uicem unius agentis perfecti. Si autem actio sit immediate et perfecte a quolibet, non apparet modus possibilis, nisi in utroque eorum sit idem principium uel eadem*
95 *uirtus numero. Propter hoc enim dicimus quod in diuinis Pater et Filius una numero spiratione spirant Spiritum Sanctum, et quilibet perfecte, quia in eis est uis spiratiua una numero.*

U 6ra
P 9rb

100 *Vera est ergo maior propositio, scilicet quod eadem actio numero non potest esse a duobus uel pluribus, ita quod a quolibet sit perfecte et immediate, nisi in eis sit eadem uirtus secundum numerum. Minor autem de se manifesta est. Sequitur ergo conclusio, scilicet quod Deus ad effectum cause secunde non agit immediate eadem actione cum creatura.*

Item, nec alia actione, quia aut una illarum actionum prius attingeret productum quam alia aut non, sed utraque simul.

105 *Non una prius quam alia, puta actio Dei prius quam actio creature, quia si Deus sua actione prius rem totam produceret, tunc creatura per suam actionem sequentem nichil faceret. Et econuerso, si actio creature prederet actionem Dei, nec potest dici quod Deus producat partem et creatura partem, quia hic querimus utrum illud idem*

86 sit] sit *add.* U 86 ab alio] ab alio *add.* P 88 perfecte] perfectione U 89 actionem] actione P 90 due] *om.* U 92 perfecte] est *add.* D 92 In] et U 94 nisi] nisi *add.* U 103 illarum] istarum U 103 prius] producere *add.* BU 103 attingeret] attingerit P 107 nec] non P 108 producat] causam *add. et exp.* U

110 *quod producit creatura immediate producat etiam Deus immediate. Prius enim fuit
concessum quod in qualibet creatura materiali est aliquid quod est a Deo immediate,
scilicet materia.*

*Item, nec utraque actio simul attingit productum, quia si hoc esset, altera su-
perflueret, cum una sufficiat ad totum producendum. Et preterea, actiones uidentur
idem esse realiter cum suis | terminis, unde et ab eis sumunt denominationem. Im-
115 possibile est ergo ad acquirendum eandem formam numero esse diuersas actiones.
Patet igitur quod ea que producuntur per actionem creature non producuntur a Deo
immediate. Posset tamen Deus ea immediate producere si uellet, sed tunc creatura
nichil ibi ageret.*

B 8ra

120 *Secundo patet idem sic: Ordo agentium correspondet ordini finium; sed unius rei
non possunt esse duo fines immediati; ergo nec duo agentia, nisi forte supplerent
uicem unius agentis modo quo dictum est de trahentibus nauem, quia consimiliter
possent esse duo immediati fines.*

⟨Obiectiones⟩

125 *Isti autem arguunt contra se dupliciter. Primo, quia sicut se habet unitas ad
constituendum numeros in ratione cause materialis, sic se habet Deus ad creaturas
in ratione cause agentis; sed unitas immediate sui additione ad numeros constituit
omnem numerum preter binarium, quem constituit per se ipsam uel in se replicata:
addita enim binario constituit ternarium et addita ternario constituit quaternarium,
et sic de omnibus; ergo similiter Deus cum aliis agentibus immediate producit omnem
effectum preter primum, quem producit per se ipsum solum.*

130 *Secundo, quia sicut se habet esse ad esse, ita agere ad agere; sed creatura omnino
non esset, nisi Deus immediate ei adesset; ergo nec creatura aliquid ageret, nisi Deus
immediate ei coageret.*

⟨Responsio Durandi ad obiectiones⟩

Et ad ista | respondent isti sic:

P 9va

69–122 ea – fines] Durandus, *In II Sent.*, d.1, q.4, lin. 148–214.

123–132 Isti – coageret] Durandus, *In II Sent.*, d.1, q.4, lin. 3–15.

109 etiam] et U 111 scilicet materia] materia scilicet U 112 esset] *om.* P 114 idem esse] esse
idem D 115 acquirendum] acquirendam BP 116 igitur] ergo P 116 per actionem creature] a
creatura P 119 Secundo] Tertio D 120 nisi] duo agentia *add.* P 120 supplerent] supplet D
121 unius agentis] agentis unius U 125 cause] esse U 125 additione] actione U 126 se] ipsa
add. D 131 ageret] *om.* U 132 immediate ei] ei immediate P 133 respondent] responderent
B; responderet U

135 *Ad primum dicendum per interemptionem minoris. Non enim unitas sui additione cum aliis causat numeros, immo ipsa sola sui replicatione causat omnem numerum materialiter. Sex enim non sunt quinque et unum, sed semel sex uel sex unitates: numerus enim non habet aliam materiam quam unitatem. Est enim numerus multitudo ex unitatibus collecta. Et eodem modo Deus omnia immediate produceret, si uirtutem producendi aliis non communicasset.*

140 *Ad secundum dicendum quod non est simile de esse et agere, quia esse cause secunde, puta intelligentie uel corporis celestis, est immediatus effectus cause prime, que est eius causa immediata non solum in fieri, sed conseruando in esse. Et ideo causa secunda non esset, nisi ei causa prima coexisteret. Sed agere cause secunde non est immediatus effectus cause prime, et ideo non oportet quod Deus ad talem actionem immediate coagat.*

145 *Supponit etiam ratio unum dubium, scilicet quod oporteat Deum immediate coexistere omni creature quantum ad omnia que sunt in ea, quod forte non est uerum, sed solum quoad illa que sunt immediate ab ipso. Hoc tamen non assero, sed primum sufficit ad soluendum rationem.*

⟨Contra secundam opinionem⟩

150 Quamuis autem hec opinio sit probabilis, tamen communis opinio est contraria. Primo, quia in camino puerorum conseruabatur ignis in suo esse et in sua uirtute actiua, non tamen agebat, quia Deus | non coagebat; ergo ignis cum calore non est sufficiens causa calefaciendi, quia posita non sequitur effectus — et idem erit post diem iudicii. Si dicatur quod ignis est sufficiens causa nisi impediatur, quero: quomodo impediabatur? Aut agendo aut actionem subtrahendo. Non agendo, quia nec
155 igni fuit aliud impressum calorem reprimens, quia combussit caldeos et combussit

U 6rb

134–149 Ad – rationem] Durandus, *In II Sent.*, d.1, q.4, lin. 215–235.

151–152 in camino – coagebat] Dan 3:19–30.

153–154 idem erit post diem iudicii] Cf., e.g. Aquinas, *Quaestiones de potentia*, q.5, a.8: “Nam et ignis suo calore transmutat materiam, ex uirtute corporis caelestis; et corpora uisibilia multiplicant suas species in medio, uirtute luminis, cuius fons est in caelesti corpore. Unde si actio utraque corporis caelestis cessaret, nulla actio in istis inferioribus remaneret. Sed cessante motu caeli, cessabit prima actio, sed non secunda; et ideo cessante motu caeli, erit quidem actio in istis inferioribus illuminationis et immutationis medii a sensibilibus; non autem erit actio per quam transmutatur materia, quam sequitur generatio et corruptio” (Ed. Pession, 152, col. 1, lin. 63–68).

134 primum] argumentum *add.* D 135 sola] cum *add.* B 137 enim¹] est uerum P 137 quam] nisi D 140 cause] esse U 141 immediatus] immediate P 143 ei causa prima] causa prima ei immediate D 143 cause] prime *add. et del.* P 147 est uerum] uerum est P 148 sed] cum D 149 ad] ad *add.* P 150 opinio] *om.* P 152–153 est sufficiens] sufficiens est B 153 quia] qua U 156 igni] ignis BU

uincula puerorum, non uestes aut capillos; nec eis fuit aliud impressum, puta frigiditas qua resisteret igni. Et quod dicitur quod angelus Domini *fecit medium fornacis, quasi uentum roris flantem* et huiusmodi, methaphorice dictum est; uel si tunc fuit, saltem post | diem iudicii nichil tale erit. Ergo Deus impediuit solum actionem subtrahendo. B 8rb

Preterea, nichil est causa conseruans immediate nisi quod est immediata causa in fieri eo modo quo conseruat uel effectiue uel dispositiue; cum ergo ignis generat ignem, quero quid conseruat formam generatam immediate in materia. Non potest dici quod generans, quia illud aliquando elongatur; nec aliquod corpus nisi forte continens, illud autem non conseruat semper sed aliquando corrumpit. Nec potest dici quod non indiget conseruante, quia si incorruptibilia indigent conseruante, multo magis corruptibilia, et quandoque actu alterantur ad corruptionem, sicut calor in aqua. Ergo Deus, qui solus est ubique *per essentiam, presentiam, et potentiam*, omnia ubique immediate conseruat, ergo omnia immediate causat; quando ergo ignis generat ignem, Deus cum eo generat, qui sine eo genitum conseruat.

Preterea, si uerum est quod omnis actio inferiorum firmatur in motu celi primo, et cessante motu celi ignis non combureret stupam, et quod dicitur II° De Gen. quod elementa respectu celi agunt *deterius quam organa*, et si uerum est quod dicunt Augustinus et Gregorius quod omnia in nichilum tenderent nisi manu omnipotentis tenentur, qui *portat omnia uerbo uirtutis sue*, ergo nisi ipse agat, nichil ageret.

158–159 angelus – flantem] Dan 3:49–50: “Angelus autem descendit cum Azaria et sociis eius in fornacem et excussit flammam ignis de fornace et fecit medium fornacis quasi uentum roris flantem et non tetigit eos omnino ignis.”

169 Deus – potentiam] Cf. Aquinas, *Summa theologie* Ia, q.8, a.3, co.: “Sic ergo est in omnibus per potentiam, in quantum omnia eius potestati subduntur. Est per presentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius. Est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi” (Ed. Leonina, 4:87b).

172–173 omnis – stupam] Cf. Tempier, *Articuli condempnati*, 156: “Quod si celum staret, ignis in stupam non ageret, quia natura deesset” (ed. Piché et Lafleur, 126–127). Etiam Durandus, *In II Sent.*, d.15, q.3.

174 elementa – organa] *De Gen.* II.9, 336a13. Morbeke tr.: “Quocirca si quam maxime facit et movet ignis, sed quomodo movet, quoniam deterius quam organa” (AL 9.2).

175–176 omnia – tenentur] Gregorius, *Moralium* XVI, c.37: “Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret” (PL 75, col.1143C).

176 portat – sue] Heb 1:3: “qui cum sit splendor glorie et figura substantie eius portansque omnia uerbo uirtutis sue purgationem peccatorum faciens.”

157 aliud] aliquid P 158 qua] quasi BU 159 tunc] dictum *add.* U 163 quo] quod P 166 autem] aut P 168 quandoque] quando P 170 quando ergo] ergo quando P 171 eo] id P 172 celi] essentii U

Quod ergo primo dicunt isti, quod ad eliciendum actionem speciei sufficit uirtus
 specifica, non est uerum nisi coagente ei illo a quo sustentatur in esse, sicut ignis
 | agit in uirtute forme substantialis non solum carnem sed etiam calorem, et calor
 180 separatus, nisi uirtus prima sibi conseruaretur, non ageret. Et quidquid esset respectu
 creature, tamen respectu primi agentis simpliciter nullum agens est sufficiens sine eo.

Ad secundum concedatur maior, sed prima probatio non ualet, quia causa uni-
 uersalis aliquando immediate agit, sicut in intellectum possibilem immediate agunt
 intellectus agens tamquam causa uniuersalis et phantasma tamquam causa particu-
 185 laris. Et falsum est quod dicunt, quod utraque causa perfecta est, quia *homo generat*
ex materia hominem et sol, nec alterum per se sufficit; ergo ambo suppleunt uicem
 unius perfecti agentis.

Alia probatio est bona, sed minor illius rationis est falsa, quia actio creature non
 egreditur perfecte ab ea sed imperfecte, quia sine creatore non potest; a Deo autem
 190 non egreditur perfecte, non quia non potest sed quia non uult — uult enim quod
 sit una perfecta actio egrediens a se et a creatura, cui communicat uirtutem agendi.
 Vel potest dici quod egreditur a Deo perfecte, sed a creatura imperfecte, sicut si sol
 et candela concurrant ad illuminationem aeris, quam etsi solus sol faceret eque per-
 fectam, tamen candela concurrens facit ad eam, nec tamen intendit eam (supposito
 195 quod sol sit tantum illuminatiuus quantum aer est illuminabilis). Nec propter hoc
 actio creature superfluit, quia hanc nobilitatem Deus ei tribuit ut cooperetur Deo.

Preterea, ad principale propositum potest sic argui: potentior est forma ad dan-
 dum esse formaliter suo subiecto quam ad multiplicandum se effectiue in alio (unde
 alicue forme debiles esse possunt que agere non possunt, sicut parvus ignis); sed
 200 essentia angeli non sibi sufficit ad esse in se sine Deo agente ad illud esse; ergo nec
 sufficit ad mouere uel agere nisi Deo coagente ad illud. Et sic potest sustineri quod
 sit unum actio Dei et creature, non manens sed transiens.

177 primo dicunt isti] Durandus, *In II Sent.*, d.1, q.4, lin. 153–158; lin. 75–78 sup.

182 secundum] Lin. 79–102 sup.

182 maior] Lin. 79–81 sup.

182 prima probatio] Lin. 85–89 sup.

185–186 homo – sol] Arist., *Phys.* II.2, 194 b14 (AL 7.1:55, lin. 8); *Auct. Arist.* 2, 65 (ed. Hamesse, 145).

188 Alia probatio] Lin. 89–97 sup.

188 minor illius rationis] Lin. 82–83 sup.

197 principale propositum] Lin. 69–71 sup.

178 sustentatur] substetantur B 178 ignis] calor PU 179 etiam] et PU 182 concedatur]
 conceditur P 185 causa] *om.* PU 186 materia] natura U 188 est bona] bona est U 189
 quia] que BPU 190 non] *om.* U 194 facit] faciat P 194 eam] equo U 196 hanc] habent U
 198 alio] alia U 200 essentia] esse U

Ad tertium potest dici quod essent due actiones; si enim actio in motu non est
nisi esse ab hoc, ergo esse, a diuersis maxime equiuoce agentibus, est esse diuersas
205 actiones. Nec tamen una attingit partem nec prius, sed utraque simul attingit totum
effectum; nec diuina superfluit, quia sine illa creatura non sufficeret, nec creatura
superfluit quoad Dei uoluntatem (licet superfluat quoad necessitatem), quia sine
creatura | posset si uellet, sed non uult.

B 8va

Ad quartum dicendum quod physice loquendo *actio et passio* non differunt a
210 motu et termino, quia non sunt sensibilia sine eo; sed metaphysice loquendo actio et
passio et motus differunt re a terminis, quia preter operationem intellectus est inter
ea realis diuersitas ex natura rei. Unde cum constet intensionem et remissionem
eiusdem forme esse actiones et passionem et motus contrarios, et tamen est eadem
forma numero et essentialiter (ut isti dicunt primo libro d. 17^o), patet quod ad
215 eandem formam numero possunt terminari diuersae numero actiones. Et si quidem
actio sit in agente substantiue, cum idem accidens | non sit in diuersis subiectis,
oportet quod secundum diuersitatem agentium sit diuersitas actionum. Si autem
actio sit in passo, si sunt agentia unius rationis, erit actio una specie et per consequens
numero, ex quo subiectum est unum numero; si autem sunt agentia diuersarum
220 rationum, erunt actiones diuersae specie et | per consequens numero, licet sit unus
effectus specie et numero. Unde quando sol et ignis calefaciunt aliud, est unus calor
specie et numero impressus, sed tamen uidentur esse duo caleferi, quia alia specie
relatio consurgit ad solem, qui calefacit equiuoce, et ad ignem, qui calefacit uniuoce.
Si autem fundamentum esset unius rationis, et relationes essent eiusdem rationis;
225 multo magis igitur est hoc respectu Dei, ad quem nunquam est relatio eiusdem
rationis et ad creaturam, quia nunquam sic se habet creatura ad creaturam aliam
sicut ad creatorem.

U 6va

P 10ra

Ad quintum dicendum quod ordo agentium sic respondet ordini finium quod

203 tertium] Lin. 103–111 sup.

203 actio in motu] Cf. *Auct. Arist.* 33, 9 : “Omnis actio in motu et omnis motus in actione firmabitur” (ed. Hamesse, 306).

209 quartum] Lin. 112–118 sup.

209–210 actio – motu] *Auct. Arist.* 2, 101: “Actio et passio sunt unus motus et in passo sicut in subiecto” (ed. Hamesse, 148).

214 ut isti dicunt] Hec questio deest in priore redactione commenti Durandi super Sententias quam cognoscimus, habetur autem in tertia redactione (communiter nuncupata C, ed. Venetiis 1517). Cf. Lib. I, d.17, q.7: “Utrum eadem forma numero possit esse intensa et remissa,” quam Durandus soluit affirmatiue.

228 quintum] Lin. 119–122 sup.

228–230 ordo – finem] Cf. Aquinas, *Summa contra gentiles* III, c.17,7.

203 potest] posset PU 205 Nec] non P 206 creatura] creata BU 212 realis] re alia U 212 intensionem] intensionem U 221 ignis] simul *add.* P 225 igitur] *om.* P

superius agens intendit supremum finem immediate, et secundum agens medium
230 finem (ut dicitur in principio Ethicorum), non autem sic quod ad unum finem et
immediate intentum non possint concurrere plura agentia — sicut plures trahentes
nauem possunt intendere unum finem numero.

Preterea, possunt esse duo fines eque immediate uoliti, quia unico actu uoluntatis
qui est de fine proximo et remoto, licet de uno propter alium, sed non eque immediate
235 attincti uel consecuti. Et similiter possunt esse plura agentia eque immediata sed
unum propter aliud; et istud erit agens imperfectum, aliud perfectum. Nec propter
hoc aliud superfluit, quia uoluntarie illud sibi adiungit, sicut etiam finis medius
imperfecte desideratur, sed finis ultimus perfecte.

In solutione autem primi argumenti contra se inducti bene dicunt quod nichil
240 aliud re quam unitas causat numerum omnem, si uerum sit quod ipsi supponunt,
quod numerus non dicat rem abstractam differentem a quantitate continua. Quod
tamen est dubium, quia linea diuisa etiam sine operatione intellectus aliter se habet
nunc et prius, non quod sit maior aut minor, sed quia prius erat continua, nunc
discontinua. Sicut continuitas est res quedam, ita et discontinuitas sibi opposita
245 per differentias formales diuidentes quantitatem; sed discontinuitas est formaliter
quantitas distincta siue ipsa distinctio quantitatis, que est numerus; ergo numerus
est res, et non ens rationis nec pura priuatio continuitatis, quia illa est punctus.
Si dicatur quod non est unum accidens numero in diuersis subiectis, omnis autem
numerus est huiusmodi, dicendum quod non idem modus essendi convenit omnibus,
250 sicut aliter sunt successiua et permanentia, et similiter aliter est quantitas continua
que est in uno, aliter distincta que est in pluribus. Vel sicut non dicitur albedo alba,
sed superficies per eam, sic numerus non est unum nec multa, sed ratio qua aliud
est unum uel multa — nisi forte unitate et multitudine que consequuntur ens, et sic
binarius est quid unum, non tamen unitate que est principium numer(or)um, sed que
255 conuertitur cum ente; et duo binarii sunt duo quedam dualitate ei opposita. Sed non

229–230 superius – finem] *Eth.* I.1, 1094a14–15. Grosseteste tr.: “In omnibus itaque ARCHITECTONICARUM fines omnibus sunt desiderabiliores (seu eligibiliores), hiis que sub ipsis. Horum enim gracia, et illa PERSEQUUNTUR” (AL 26.2:141, lin. 18).

239 solutione autem primi argumenti] Lin. 123–129 sup.

239 bene dicunt] Lin. 134–139 sup.

229 intendit – agens] *om.* U 231 intentum] intantum P 235 attincti] intenti P 235 consecuti] assecuti U 239 autem] a B; de U 239 quod] quia P 240 omnem] Sed *add.* U 240 sit] illud *add.* B; est P 240 ipsi supponunt] supponunt ipsi B 242 tamen] tam U 244 discontinua.] Igitur *add.* U 244 Sicut] ergo *add.* P 244 continuitas] discontinuitas *a.c.* B 247 priuatio] *om.*, *add. mrg.* P 249 huiusmodi] huius BU 249 non] est *add.* B 249 convenit] pluribus *add. et exp.* B 250 permanentia] permanentia P 251 distincta] discreta P 253 consequuntur] consequuntur P

uidetur quod unum quod conuertitur cum ente magis possit esse | simul in diuersis B 8vb
subiectis situ distinctis quam unum quod est principium numerorum. Et hec sint
solum dubitatiue dicta.

Ad secundum dicendum quod sicut omnis forma que dependet in esse a corpore
260 dependet ab eo in agere et non econuerso (unde omnis actio anime corruptibilis est
coniuncti et sola operatio anime rationalis est ei propria, quia potest esse sine corpore
et per consequens operari), sic omnis creatura, | que dependet a Deo secundum esse, P 10rb
dependet etiam in operari, sic scilicet quod sicut suum esse est a Deo et conseruatur
immediate, sic sua actio est a Deo immediate et immediate conseruatur a Deo. Nemo
265 enim potest dare alteri quod non habet; unde si celum non conseruat se in esse, non
potest dare suo effectui quod conseruet se, nec iterum celum potest suum effectum
conseruare, quia non potest seipsum conseruare, ergo multo minus aliud; ergo Deus
utrumque conseruat. Si dicatur quod celum, licet non possit se conseruare, tamen
eo ipso quod conseruatur potest aliud conseruare quamdiu conseruatur, et sic ipsum
270 solum immediate conseruat, sicut ignis calefacit aquam et aqua immediate se bal-
neantem in ea, non est simile, quia amoto igne adhuc ad horam manet calor in aqua,
unde ignis non erat tota causa conseruans sed aliqua alia.

Quod autem dicunt quod illis solum oportet Deum adesse que sunt immediate ab
ipso et non omnibus simpliciter, non est uerum, quia Deus potest immediate omnia
275 annihilare, et remanentibus omnibus causis extrinsecis annihilabit effectum. Hec
autem annihilatio non est per actionem positiuam (quia illa requirit uel substan-
tiam, sicut corruptio, uel terminum ad quem realem, sicut creatio); ergo est per
subtractionem realis influxus. Cum ergo omnis influxus Dei in causis remaneat (ut
suppono), preter illum erat specialis influxus in creatum, cuius subtractione ipsum
280 annihilatur.

⟨Tertia, uera opinio: Thome⟩

Tertia opinio est que uidetur esse Sancti Thome, et est uera si bene intelligatur.
Est igitur opinio quod omnes effectus sunt a Deo inquantum habent esse, a creatura

259 secundum] Lin. 130–132 et 140–145 sup.

264–265 Nemo – habet] *Auct. Arist.* 37, 23: “Nihil dat quod non habet” (ed. Hamesse, 333)

273 Quod autem dicunt] Lin. 146–149 sup.

281 Sancti Thome] Aquinas, *In II Sent.*, d.1, q.1, a.4 (ed. Mandonnet, 25–26).

282–290 omnis – creatura] Durandus, *In II Sent.*, d.1, q.4, lin. 33–44.

257 situ] sic U 257 unum quod] unumquodque U 257 numerorum] numerum BU 261 op-
eratio] opinio U 263 etiam] et P 263 suum] *om.* U 265 alteri] alii P 265 quod] quid P
266 effectui] effectum U 269 quamdiu] quod B 270 et] *om.* P 274 immediate omnia] omnia
immediate U 282 omnes] tales D

autem inquantum habent determinatum esse. Quod uidentur sic probari: *Nullius rei totum esse sumit principium ab aliqua creatura, cum ad esse rei faciat materia, que a solo Deo creatur.* Ad distinctionem autem esse nichil facit materia, sed solum forma, quam creatura in | materia presupposita inducit. Ex hoc arguitur sic: Deus creans materiam operatur immediate ad esse rei, creatura autem dans formam operatur ad esse distinctum. *esse autem est magis intimum rei quam ea per que determinatur (unde remanet aliis remotis, ut dicitur prima propositione De causis).* Ergo in omni re Deus est causa intimius et immediatius operans quam aliqua creatura.

U 6vb

⟨Obiectiones Durandi⟩

Contra istam opinionem quidam arguunt dicentes quod *hec responsio non uidetur esse ad propositum, et quod assumit etiam falsum.*

Quod non sit ad propositum, patet, quia aliud est dicere quod Deus producat immediate aliquid quod est in creatura, scilicet materiam, que est altera pars substantie composite, quod utique uerum est nec hoc querit questio; et aliud est dicere quod Deus producat immediate omne illud quod producit creatura. Cum enim actio creature attingat formam ut terminum sue actionis et non materiam, ut ipsimet dicunt, querimus utrum ipsam formam rei naturalis, ad quam immediate attingit actio creature, attingat etiam actio Dei immediate. Ipsi autem pertractant primum et non secundum, ut patet ex medio quod adducunt, et ideo non est ad propositum.

Assumit etiam falsum. Quod enim dicunt quod esse est intimius rei quam ea que ipsum determinant, si intelligatur quod esse in potentia sit intimius rei quam esse in actu per quod determinatur, falsum | est. Sicut enim per formam quelibet res est uerius id quod est quam per materiam, ut dicitur II^o Phisicorum, sic esse

B 9ra

289 remanet aliis remotis] Cf. *Liber de causis*, prop. 1, 1–2: “Cum ergo causa universalis secunda virtutem suam a re, causa universalis prima non aufert virtutem suam ab ea” (ed. Pattin, 134, lin. 3–5).

300 medio quod adducunt] Lin. 288–289 sup.

303–304 per formam – materiam] Cf. Arist., *Phys.*, II.1, 193b3–8. Iacobus Veneticus tr.: “Quare alio modo natura utique erit habentium in se ipsis motus principium forma et species, que non separata est sed aut secundum rationem; quod autem est ex istis natura quidem non est, sed natura, ut homo. Et magis natura hec est quam materia” (AL 7.1:48, lin. 4).

283 determinatum] distinctum B 283 probari] probare D 284 sumit principium] suum principium sumit D 284–285 que – materia] om. U 286 in] illi U 286 materia presupposita] presupposita materia D 286 arguitur] om. D 290 causa] om. D 290 intimius] intimus U 291 responsio] autem positio D 292 assumit] assumitur U 297 sue actionis] actionis sue D 299 attingat] attingit P 299 etiam] ipsa add. B 301 intimius] intimus U 302 intimius] intimus U 304 res] om. U 304 uerius] id add. P

305 *actu est uerius et intimius esse rei quam esse in potentia. Si autem intelligatur*
quod esse actuale in sua communitate sumptum | intimius est rei quam ea per que P 10va
determinatur ad hoc esse uel ad illud quod est esse uiuens uel esse intellectuale, tunc
variant propositum suum, ut de se patet. Quod etiam non uidetur uerum, quia que
310 *penitus sunt idem unum non est alio intimius rei; sed esse et determinatum esse*
in una et eadem re, sicut in planta, sunt penitus idem re (uiuere enim uiuentibus
est esse); ergo unum non est rei intimius quam alterum loquendo realiter; secundum
rationem tamen esse in communi intimius est rei quam perfectiones determinantes
ipsum, et secundum intellectum nostrum prius aduenit et posterius recedit. Separatur
315 *enim secundum rationem ab aliis, quia communius est, ut in preallegata propositione*
dicitur. Sed ex hoc non potest haberi quod Deus immediatius operetur in omni re
quam aliqua creatura, immo nec quod operetur immediate, quia uniuersalia non fiunt
nisi factione singularium. Et ideo res non sunt ab aliquo in quantum habent esse, nisi
quia sunt ab eodem in quantum habent hoc determinatum esse, cuius oppositum pro
conclusionem ponit hec opinio

320 Quidquid autem sit de opinione et de impugnatione uerum est quod ratio non
probat Deum agere immediate in omni actione creature, immo nec in aliqua. Si
enim Deus non aliter agit nisi quia materiam producit, in illa sola actione immediate
agit in qua uel cum qua est creatio materie; hoc autem non est in aliqua actione
325 creature, nisi forte quando ex speciebus in sacramento altaris aliquid generatur, si
tunc Deus ibi creat materiam et natura inducit formam. Ibi enim ad productionem
totius immediatius agit in quantum presupponitur materia ad hoc quod de ea forma
educatur.

Preterea, esse est magis a forma quam a materia; unde si tota forma esset a
creatura et sola materia a Deo, plus ageret creatura in productione rei quam Deus.

330 Preterea, multe actiones sunt in intellectualibus in quibus non est materia, de
quibus non datur ratio immediationis.

⟨Responsio ad obiectiones⟩

Potest tamen sic sustineri opinio quod actio realis creature, que infert passionem

310–311 uiuere – esse] Arist., *De An.*, II.4, 415b13. Morbeka tr.: “Viure autem uiuentibus est esse” (AL 12.2:95, col. 2, lin. 5).

291–319 hec – opinio] Durandus, *In II Sent.*, d.1, q.4, lin. 45–82.

307 ad hoc] adhuc P 307 ad] *om.* B 308 suum] suis U 308 Quod] Et D 308 uidetur uerum]
uerum uidetur U 309 alio intimius rei] intimius rei alio D 310 sunt] idem *add.* P 310 penitus]
ponitus P 312 rei] dei U 316 nec quod] quod nec B 328 est magis] magis inest B 329 rei
quam] re quod U 330 actiones] rationes U

335 proprie dictam, supponit materiam; inquantum ergo Deus sustentat continue mate-
 riam et continue creat in qua omnis actio creature mediate uel immediate suscipitur,
 intantum immediate agere dicitur, quia et materiam applicat qui eam sustentat et
 eam disponit qui aptitudinem naturalem, qua est susceptibilis, in ea custodit — si-
 cut qui ceram applicaret et mollificaret, immediate ad impressionem sigilli ageret.
 Videtur tamen contra id quod illi dicunt reprobando opinionem, quod esse possibile
 sit intimius rei quam esse actuale, quia illud est rei intimius quod est in re prius et
 340 posterius; sed hoc est esse possibile. Prius est enim res in potentia quam in actu, quia
 quod est potest esse, non autem omne quod potest esse, est; item, postquam res non
 est, adhuc potest esse, unde esse in potentia prius aduenit et posterius recedit; ergo
 est intimius, et hoc secundum rem, ubi ista differunt secundum rem, sicut in com-
 positis ex materia et forma materia etiam est prior forma (I^o Phisicorum: *subiectum*
 345 *est prius predicato*) et remanet post formam corruptam.

De esse uero in communi uerum dicunt quod secundum rationem, non secundum
 rem, est intimius et prius et posterius; sed cum hoc non uidetur stare quod sequitur,
 quod uniuersale non | fit nisi per hoc quod singulare fit, quia fieri terminatur ad
 esse (unde illud uidetur prius fieri cui prius competit esse, sicut composito, cui prius
 350 competit esse quam forme, prius competit fieri quam forme); si igitur uniuersale prius
 est quam singulare, ergo prius fit — sed uerum est quod uniuersale per se nunquam
 fit prout est distinctum ratione a singulari.

Preterea, si celum pro tanto dicitur non immediatum agens, quia determinatur
 a particulari coagente, ipsum indeterminatum existens, | cum Deus non solum sit
 355 agens uniuersale, immo et determinet seipsum, esse determinatum ita est a Deo sicut
 indeterminatum. Licet ergo uno | modo possit saluari immediatio actionis diuine in
 omni effectum per hoc quod ipse immediate conseruat illud in quo actio recipitur et
 illud a quo actio egreditur, quod in corporalibus est materia, in aliis aliud loco materie
 immediate a Deo creatum, ut essentia, tamen non propter hoc negantur alii modi.

P 10vb

B 9rb

U 7ra

338 illi dicunt] Sc., Durandus, ut sup.

344–345 subiectum – predicato] *Auct. Arist.* 2, 19 (ed. Hamesse, 141).

335 et] etiam U 338 id] illud U 338 reprobando] improbando P 338 possibile] potentiale
 P 340 possibile] potentiale P 340 est enim] enim est P 340 quam] quod U 341 quod] quid
 U 341 quod] quid U 341 item] uerum P 342 esse] est U 342 potentia] potentie U 343
 intimius] intimus U 343 ubi] nisi U 349 esse] *om.* P 350 esse – competit] *om.* P 350
 igitur] ergo P 352 est] *om.* B 354 ipsum] est *add.* P 354 indeterminatum] determinatum P
 354 existens] ens U 355 et] etiam B 359 essentia] esse U

⟨Quarta opinio: Petri de Palude⟩

360 Quarta opinio potest concludi ex omnibus predictis.

Ad cuius euidenciam tria uidenda sunt: primo quod Deus conseruat omnia immediate quoad omne esse; secundo quod ipse agit immediate in omni actione; tertio quod per actionem distinctam formaliter licet non materialiter.

Primum patet sic, quia omne quod est aut est ingenerabile (ut euiterna) aut
365 generabile; constat autem quod omne euiternum a solo Deo conseruatur immediate, a quo solo efficitur, quia causa in conseruari non est nisi illa que est in fieri. De generabilibus autem idem patet dupliciter: primo, quia si celum non sufficit sibi ad conseruandum seipsum nisi immediate a Deo conseruetur, multo minus sufficit ad conseruandum aliud nisi in conseruando adiuuetur immediate a Deo, quia forma
370 plus nata est conseruare suam materiam quam alienam. Preterea, cum Deus possit annihilare omnia contenta retentis omnibus continentibus cum omnibus suis uirtutibus, et hoc non sit per actionem ueram, que uel habet subiectum, ut corruptio, uel terminum, ut creatio, sed per subtractionem influentie et actionis, que non habet subiectum nec terminum, non est hoc per corruptionem actionis aliene, sed per subtractionem actionis proprie, id est conseruationis sue; ergo illam rem conseruabat.
375

Secundo, ex hoc quod ipse immediate agit in omni actione. Primo ex parte effectus actionis, sic: ille qui immediate conseruat omne productum, immediate egit ad eius productionem, quia conseruatio non est nisi productionis continuatio; sed Deus immediate conseruat omne productum; ergo immediate producit omne quod
380 producitur.

Secundo ex parte agentis, sic: plus sufficit aliquid sibi ad essendum quam ad aliud producendum; sed nulla creatura sufficit sibi ad esse nisi Deo conseruante immediate; ergo nec ad agere nisi Deo coagente.

Tertio, quod per aliam actionem. Ubi sciendum quod distinctio actionum ex
385 principiis est per causam efficientem, ex terminis per causam finalem, et neutra per causam formalem, cum actio sit predicamentum distinctum ab omni principio et termino suo, unum autem predicamentum non distinguitur formaliter | differentiis alterius, quia diuersorum generum et non subalternatim positorum diuerse sunt species et differentie. Sed dicuntur actio et passio unus motus materialiter et subiec-
390 tiue, quia actio est in passo. Si ergo agentia unum effectum sunt unius rationis, erit

P 11ra

389-390 actio – passo] *Auct. Arist.* 2, 101; cf. lin. 209 sup.

360 predictis] infra statim *add.* P 364 ingenerabile] generabile B 365 constat] constatant B
366 causa] huius *add.* P 369 forma] *om.* P 370 est] forma *add.* P 372 habet] *om.* P
374 per] actionem *add. et exp.* B 386 actio] acto U 386 predicamentum] preiunctum U 388
generum] *om.* U 389 motus] modus U

duorum agentium unum effectum in uno subiecto una actio numero, quia est una
 specie habens unum subiectum (ut duorum trahentium nauem unum trahere et non
 solum unum trahi uel unus tractus et duorum luminarium unum illuminare, quia
 395 lumen est unius rationis, non solum in termino sed in principiis). Quando autem
 sunt agentia in quantum huiusmodi diuersarum rationum, sicut particulare et uni-
 uersale, uidentur esse diuerse actiones propter duo. Primo, quia aliquando una est
 uniuoca, alia equiuoca, sicut *homo generat hominem et sol*; generatio autem uniuoca
 et equiuoca non sunt unius rationis in genere actionis et modo agendi. Secundo, quia
 400 diuerse relationes habent diuersa fundamenta in eodem subiecto; sed alia relatione
 refertur homo genitus ad generantem patrem, puta filiatione, alia ad solem, cuius
 non est filius; hoc autem non est propter diuersitatem termini accepti, qui est unus;
 | ergo propter diuersitatem ipsius actionis. Multo magis ergo actio qua Deus in omni
 actione creata agit differt ab illa maxime. Tertio, quia a principiis diuersis specie
 emanant diuerse actiones. B 9va

405 Ad argumentum dicendum quod loquitur de opere creationis, non propagationis,
 de quo dicit: *pater meus usque modo operatur et ego operor*.

397 homo – sol] *Auct. Arist.* 2, 65; cf. lin. 186 sup.

405 argumentum] Lin. 2 sup.

406 pater – operor] Joan 5:17.

393 illuminare] luminare B 395 huiusmodi] huius U 395–396 particulare et uniuersale] uni-
 uersale et particulare B 397 alia] est *add.* P 397 generatio] genero BU 400 homo] *om.* P
 404 emanant] emanarat U